Fragmentarium

iiii Unus altiſſimus creator omnipotens · rex potens et me-
tuendus nimis · ſedens ſuper thronum illius et dominans
deus ipſe creauit illam ſpiritu ſancto et dinumerauit et menſus
eſt · et effudit illam ſuper omnia opera ſua · et ſuper omnem
creaturam ſecundum datum ſuum prebuit illam diligentibus
ſe Timor domini gloria · et gloriacio et leticia et corona exulta-
cionis v Timor domini delectabit cor · et dabit leticiam
et gaudium · in longitudinem dierum Timenti dominum bene
erit in extremis · et in diebus defunctionis ſue benedicetur
Timor domini ſciencie religioſitas · religioſitas cuſtodiet et
iuſtificabit cor · iocunditatem atque gaudium dabit vi
Plenitudo ſapientie timere dominum · et plenitudo a fructibus
illius Omnem domum implebit a generacionibus et recepta-
cula a theſauris illius Corona ſapientie timor domini re-
plens pacem et ſalutis fructum · et vidit et dinumerauit
eam Utraque autem ſunt dona dei · Sciencia et intellectus
prudentie · ſapiencie compartietur · et gloriam tenencium ſe ex-
altat vii Radix ſapientie eſt timere dominum rami enim
illius longeui · In theſauris ſapiencie · intellectus et ſcien-
cie religioſitas execracio autem peccatoribus ſapiencia Ti-
mor domini expellit peccatum · Nam qui ſine timore eſt · non po-
teſt iuſtificari · Iracundia enim animoſitatis illius ſubuer-
ſio eſt · uſque in tempus paciens et poſtea redditio iocundi-
tatis viii Bonus ſenſus uſque in tempus abſcondet
verba illius · et labia multorum enarrabunt ſenſum illius
In theſauris ſapientie ſignificatio diſcipline · execracio
autem peccatori cultura dei Concupiſcens ſapientiam
conſeruat iuſticiam · et deus prebebit illam tibi Sapiencia
enim et diſciplina timor domini · et quod beneplacitum eſt illi
fides et manſuetudo implebit theſauros illius · Non ſis
incredibilis timori domini · et ne acceſſeris ad illam duplici corde

Fragm. lat. 57b

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK LEIPZIG

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 57, 57b: 1r – Lectionarium officii (https://fragmentarium.ms/view/page/F-nwij/175/2677)